

Geachte docent,

Pdf-download van het Pensum Latijn CE Latijn 2015.

Het Latijn heeft dezelfde regelnummering en indeling als in het Tekstboek en Hulpboek.

De tussenkopjes zijn door de auteur aangebracht.

Iedere regel springt in met een tab, en achter iedere regel staat een harde return.

Letter: Times New Roman

3.2 Wat een ellende (ad Fam. 14.2)

Zelfverwijten

1 Tullius s. d. Terentiae suae et Tulliolae et Ciceroni suis

Noli putare me ad quemquam longiores epistulas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quid scribam, nec hoc tempore quicquam difficilium facio. Ad te vero et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis

5 lacrimis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui idque praestare debui, et, nisi tam timidi fuissetis, praestitissetis.

Hoop en angst

Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus sum gratiasque egi, ut debui. In novis tribunis pl. intelligo spem te habere. Id erit firmum, si Pompei voluntas erit; sed Crassum tamen metuo.

Wat ben je slecht behandeld

10 A te quidem omnia fieri fortissime et amantissime video, nec miror, sed maereo casum eius modi, ut tantis tuis miseriis meae miseriae subleventur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quem ad modum a Vestae ad Tabulam Valeriam ducta esses. Hem, mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et

15 sordibus, idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus!

Financiële zorgen

Quod de domo scribis, hoc est de area, ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta. Verum haec non sunt in nostra manu; illud doleo, quae impensa facienda est, in eius partem te miseram et despoliatam venire. Quod si conficitur negotium, omnia consequemur; sin eadem nos fortuna premet, etiamne

20 reliquias tuas miseras proicies? Obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere;

Let toch op je gezondheid

et valetudinem istam infirmam, si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. Omnes labores te excipere video; timeo, ut sustineas. Sed video in te esse omnia. Quare, ut id, quod speras et quod agis, consequamur, servi valetudini.

Ik houd het kort

25 Ego, ad quos scribam, nescio, nisi ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Longius, quoniam ita vobis placet, non discedam; sed velim quam saepissime litteras mittatis, praesertim si quid est firmitus, quod speremus. Valet, mea desideria, valet.

3.4 Hoop op terugkeer (ad Fam. 14.3)

Verdriet

1 Tullius s. d. Terentiae suae et Tulliae et Ciceroni

Accepi ab Aristocrito tres epistulas, quas ego lacrimis prope delevi. Conficior enim maerore, mea Terentia, nec meae me miseriae magis excruciant quam tuae vestraeque.

5 Ego autem hoc miserior sum quam tu, quae es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium vel legatione vitare periculum vel diligentia et copiis resistere vel cadere fortiter. Hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit.

Schaamte

Qua re cum dolore conficiar, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori [mae] optimae, suavissimis liberis virtutem et diligentiam non praestitisse. Nam mi ante
10 oculos dies noctesque versatur squalor vester et maeror et infirmitas valetudinis tuae. Spes autem salutis pertenuis ostenditur. Inimici sunt multi, invidi paene omnes. Eicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen, quam diu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur.

En nu maar afwachten

Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici volunt
15 vivere in tantis miseriis. Ego tamen faciam, quae praecipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias et eas litteras Dexippo dedi meque de eorum officio scripsi a te certiore esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos et officio et ego perspicio et omnes praedicant. Di faxint, ut tali genero mihi praesenti tecum simul et cum liberis nostris frui liceat! Nunc spes reliqua est in novis tribunis pl. et in primis quidem
20 diebus. Nam, si inveterarit, actum est.

Hoop op terugkeer

Ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuo initia rerum et rationem totius negoti posses scribere; etsi Dexippo quoque ita imperavi, statim ut recurreret, et ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum Dyrrachi hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, et sum tuto; civitas enim haec
25 semper a me defensa est. Cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo.

Wat moeten we doen?

Quod scribis te, si velim, ad me venturam, ego vero, cum sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse volo. Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem – sed nihil opus est reliqua scribere. Ex primis aut summum
30 secundis litteris tuis constituere poterimus, quid nobis faciendum sit. Tu modo ad me velim omnia diligentissime perscribas; etsi magis iam rem quam litteras debeo <ex>spectare.

Afsluiting

Cura, ut valeas et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse nec umquam fuisse. Vale, mea Terentia; quam ego videre videor itaque debilitor lacrimis. Vale.

4.1 Als proconsul naar Cilicië (ad Att. 5. 16)

Snel even een briefje

1 Cicero Attico sal.

Etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii et eram in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne me immemorem mandati tui putares.

Itaque subsedi in ipsa via, dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim
5 tibi perscriberem.

De provincie was vreselijk uitgebuit

Maxima exspectatione in perditam et plane eversam in perpetuum provinciam nos venisse scito prid. Kal. Sext., moratos triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. Audivimus nihil aliud nisi imperata epikephalia solvere non posse, onas omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis sed
10 ferae nescio cuius immanis. Quid quaeris? Taedet omnino eos vitae.

Cicero zelf treedt zuinig en zorgzaam op

Levantur tamen miserae civitates, quod nullus fit sumptus in nos neque in legatos neque in quaestorem neque in quemquam. Scito non modo nos faenum aut, quod e lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec praeter quattuor lectos et tectum quemquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem et in tabernaculo manere
15 plerumque.

De mensen komen dankbaar toestromen

Itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex <oppidis> omnibus; et [omnibus] mehercule etiam adventu nostro reviviscunt, iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis <cogn>ita, quae opiniones omnium superavit.

Enkele nieuwtjes

Appius ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se coniecit Tarsum usque.
20 Ibi forum agit. De Partho silentium est, sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in provinciam suam accedere; id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius vellet decedere. Nos in castra properabamus, quae aberant bidui.

5.1 Bezorgdheid om Terentia en Tullia (ad Fam. 14.18)

In Rome blijven of weggaan?

- 1 Tullius Terentiae suae et pater suavissimae filiae, Cicero matri et sorori s. d. p.
Considerandum vobis etiam atque etiam, animae meae, diligenter puto, quid faciatis,
Romaene sitis an mecum an aliquo tuto loco. Id non solum meum consilium est,
sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem haec: Romae vos esse tuto posse per
5 Dolabellam eamque rem posse nobis adiumento esse, si quae vis aut si quae rapinae fieri coeperint;
sed rursus illud me movet, quod video omnes bonos abesse Roma et
eos mulieres suas secum habere. Haec autem regio, in qua ego sum, nostrorum est
cum oppidorum, tum etiam praediorum, ut et multum esse mecum et, cum aberitis,
commode et in nostris esse possitis. Mihi plane non satis constat adhuc, utrum sit
10 melius.

Raadgevingen

- Vos videte, quid aliae faciant isto loco feminae, et ne, cum velitis, exire non liceat.
Id velim diligenter etiam atque etiam vobiscum et cum amicis consideretis. Domus
ut propugnacula et prae<si>dium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios
instituat certos, ut cottidie aliquas a vobis litteras accipiam. Maxime autem date
15 operam, ut valeatis, si nos vultis valere.

5.3 Op weg naar Griekenland (ad Fam. 14.7)

- 1 Tullius Terentiae suae s.p.
Omnes molestias et sollicitudines, quibus et te miserrimam habui, id quod mihi
molestissimum est, et Tulliolam, quae nobis nostra vita dulcior est, deposui et eieci.
Quid causae autem fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi. Cholen akration
5 noctu eieci. Statim ita sum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur.
Cui quidem tu deo, quem ad modum soles, pie et caste satis facies [id est Apollini et
Aesculapio]. Navem spero nos valde bonam habere. In eam simul atque conscendi,
haec scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistulas, quibus te et
Tulliolam nostram diligentissime commendabo. Cohortarer vos, quo animo fortiores
10 essetis, nisi vos fortiores cognossem quam quemquam virum. Et tamen
eius modi spero negotia esse, ut et vos istic commodissime sperem esse et me aliquando cum
similibus nostri rem publicam defensuros. Tu primum valetudinem tuam velim
cures; deinde, si tibi videbitur, villis iis utere, quae longissime aberunt a militibus.
Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero
15 bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam atque etiam vale.

5.4 Zorgen om Tullia (ad Fam. 14.19)

- 1 Tullius Terentiae suae s. d.
In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae, de qua nihil est
quod ad te plura scribam; tibi enim aequae magnae curae esse certo scio. Quod me
propius vultis accedere, video ita esse faciendum et iam ante fecissem, sed me multa
5 impediverunt, quae ne nunc quidem expedita sunt. Sed a Pomponio exspecto litteras,
quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam, ut valeas.

6.1 Verdriet om de dood van Tullia (ad Att. 12.14.3)

- 1 Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis ut omnia; sed me mihi non defuisse tu
testis es. Nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi
tuae legerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto
ante me nemo, ut ipse me per litteras consolaretur. Quem librum ad te mittam, si
5 descripserint librarii. Adfirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo,

non quo proficiam quid, sed tantisper impediatur – non equidem satis (vis enim urget),
sed relaxor tamen, omniaque nitor non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam,
reficiendum, idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse,
nisi faciam. Solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses.

- 10 Quae mihi una causa est hinc discedendi; nam pro malis recte habebat. Quamquam
<id> ipsum doleo. Non enim iam in me idem esse poteris. Perierunt illa, quae amabas.

8.1 Bestaan spoken nu wel of niet? (Epist. 7.27)

Plinius vertelt een spookverhaal

Iam illud nonne et magis terribile et non minus mirum est, quod exponam, ut accepi? Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde
30 e proximo reddebatur: mox adparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque.

De inwoners zijn bang

Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdum quoque, quamquam
35 abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relicta; proscribebatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

De filosoof Athenodorus huurt het huis

Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis
40 conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen, suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret.

Het spook verschijnt

Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non
45 tollere oculos, non remittere stilum, sed affirmare animum auribusque praetendere. Tum crebescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem.

Athenodorus volgt het spook

Stabat innuebatque digito similis vocanti. Hic contra, ut paulum exspectaret, manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat.
50 Respicit rursus idem, quod prius, innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit.

Het spook tot rust gebracht

Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus, aevo terraque putrefactum, nuda et exesa
55 reliquerat vinculis; collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.

10.1 De uitbarsting van de Vesuvius! (Epist. 6.16)

Een angstaanjagende wolk

15 Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum kal. Septembres hora fere septima mater mea indicat ei adparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes – incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) – oriebatur, cuius
20 similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa et prout terram cineremve sustulerat.

Plinius maior komt te hulp

25 Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro visum. Iubet liburnicam aptari; mihi, si venire una vellem, facit copiam; respondi studere me malle, et forte ipse, quod scriberem, dederat. Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae Tasci imminenti periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga): ut se tanto discrimini eriperet, orabat. Vertit ille consilium et, quod studioso animo
30 incohaverat, obit maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse non Rectinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprenderat oculis, dictaret (34) enotaretque.

De situatie is penibel

35 Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides; iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox gubernatori, ut ita faceret, monenti ‘Fortes’ inquit ‘fortuna iuvat: Pomponianum pete.’

Op weg naar Stabiae

Stabiis erat diremptus sinu medio (nam sensim circumactis curvatisque litoribus
40 mare infunditur); ibi quamquam nondum periculo adpropinquante, conspicuo tamen et, cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae, si contrarius ventus resedisset. Quo tunc avunculus meus secundissimo invectus, complectitur trepidantem, consolatur, hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet; lotus accubat, cenat, aut hilaris aut (quod aequum magnum) similis
45 hilari.

Op weg naar de kust

Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multae variaque lumina solvebant. Placuit egredi in litus, et ex proximo adspicere, ecquid iam mare admitteret; quod adhuc vastum et adversum permanebat.

Het einde van Plinius Maior

Ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit
70 hausitque. Deinde flammae flammaramque praenuntius odor sulphuris alios in fugam vertunt, excitant illum. Innitens servolis duobus adsurrexit et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho qui illi natura invalidus et angustus et frequenter aestuans erat. Ubi dies redditus (is ab eo, quem novissime viderat, tertius), corpus inventum, integrum, illaesum opertumque, ut
75 fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.

Afsluiting

Interim Miseni ego et mater – sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire voluisti. Finem ergo faciam. Unum adiciam, omnia me, quibus interfueram quaeque statim, cum maxime vera memorantur, audieram, persecutum. Tu potissima excerpes; aliud est enim epistulam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

11.1 Troost bij de dood van een jong meisje (Epist. 5.16)

Plinius is onder de indruk

- 1 C. Plinius Aefulano Marcellino suo s.
Tristissimus haec tibi scribo, Fundani nostri filia minore defuncta. Qua puella nihil umquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita sed prope immortalitate dignius vidi. Nondum annos xiiii impleverat, et iam illi anilis prudentia, matronalis gravitas
- 5 erat et tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia.

Wat een bijzonder meisje!

- Ut illa patris cervicibus inhaerebat! Ut nos, amicos paternos, et amanter et modeste complectebatur! Ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores pro suo quemque officio diligebat! Quam studiose, quam intellegenter lectitabat! Ut parce custoditeque ludebat! Qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia novissimam
- 10 valetudinem tulit! Medicis obsequabatur, sororem, patrem adhortabatur ipsamque se destitutam corporis viribus vigore animi sustinebat. Duravit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio valetudinis aut metu mortis infractus est, quo plures gravioresque nobis causas relinqueret et desiderii et doloris.

Een begrafenis in plaats van een huwelijk

- O triste plane acerbumque funus! O morte ipsa mortis tempus indignius!
- 15 Iam destinata erat egregio iuveni, iam electus nuptiarum dies, iam nos vocati. Quod gaudium quo maerore mutatum est! Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, cum audivi Fundanum ipsum, ut multa luctuosa dolor invenit, praecipientem, quod in vestes, margarita, gemmas fuerat erogaturus, hoc in tus et unguenta et odores impenderetur.

Het verdriet van haar vader

- 20 Est quidem ille eruditus et sapiens, ut qui se ab ineunte aetate altioribus studiis artibusque dederit; sed nunc omnia, quae audiit, saepe quae dixit, aspernatur expulsisque virtutibus aliis pietatis est totus. Ignosces, laudabis etiam, si cogitaveris, quid amiserit. Amisit enim filiam, quae non minus mores eius quam os vultumque referebat, totumque patrem mira similitudine exscripserat.

Een laatste raad

- 25 Proinde si quas ad eum de dolore tam iusto litteras mittes, memento adhibere solacium non quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum. Quod ut facilius admittat, multum faciet medii temporis spatium. Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes reicit ac refugit, mox desiderat et clementer admotis
- 30 adquiescit. Vale.

12.1 Plinius dankt Calpurnia's tante (Epist. 4.19)

Calpurnia is haar afkomst waardig

- 1 C. Plinius Calpurniae Hispullae suae s.
Cum sis pietatis exemplum, fratremque optimum et amantissimum tui pari caritate dilexeris, filiamque eius ut tuam diligas, nec tantum amitae ei adfectum verum etiam patris amissi repraesentes, non dubito maximo tibi gaudio fore, cum cognoveris
- 5 dignam patre, dignam te, dignam avo evadere.

De kwaliteiten van Calpurnia

- Summum est acumen, summa frugalitas; amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine, cum videor acturus, quanto, cum egi, gaudio adficitur! Disponit, qui nuntient sibi, quem adsensum, quos clamores
- 10 excitarim, quem eventum iudici tulerim. Eadem, si quando recito, in proximo discreta velo sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat etiam formatque cithara non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus.

Plinius is blij met Calpurnia

- 15 His ex causis in spem certissimam adducor, perpetuam nobis maioremque in dies futuram esse concordiam. Non enim aetatem meam aut corpus, quae paulatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit.

Dank dat je ons hebt verbonden

- Nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis praeceptis institutam, quae nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque, quae denique amare me ex tua praedicatione consueverit. Nam, cum matrem meam parentis loco vererere, me a
- 20 pueritia statim formare, laudare, talemque, qualis nunc uxori meae videor, ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus, ego, quod illam mihi, illa, quod me sibi dederis, quasi invicem elegeris. Vale.

12.4 Plinius kan niet zonder Calpurnia (Epist. 7.5)

- 1 C. Plinius Calpurniae suae s.
Incredibile est, quanto desiderio tui tenerar. In causa amor primum, deinde quod non consuevimus abesse. Inde est, quod magnam noctium partem in imagine tua vigil exigo; inde quod interdum, quibus horis te visere solebam, ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt; quod denique aeger et maestus ac similis excluso a vacuo limine recedo. Unum tempus his tormentis caret, quo in foro et amicorum litibus conteror. Aestima tu, quae vita mea sit, cui requies in labore, in miseria curisque solacium. Vale.

12.5 Plinius schrijft Calpurnia's grootvader (Epist. 8.10)

Plinius valt met de deur in huis

- 1 C. Plinius Fabato prosocero suo s.
Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc tristior audies neptem tuam abortum fecisse, dum se praegnantem esse puellariter nescit, ac per hoc quaedam custodienda praegnantibus omittit, facit omittenda. Quem errorem magnis
- 5 documentis expiavit, in summum periculum adducta.

Plinius troost Calpurnius

Igitur, ut necesse est, graviter accipias senectutem tuam quasi paratis posteris destitutam, sic debes agere dis gratias, quod ita tibi in praesentia pronepotes

negaverunt, ut servarent neptem, illos reddituri, quorum nobis spem certiore haec ipsa, quamquam parum prospere explorata, fecunditas facit.

Ook ik verlang naar kinderen

- 10 Isdem nunc ego te, quibus ipsum me, hortor, moneo, confirmo. Neque enim ardentius tu pronepotes quam ego liberos cupio, quibus videor a meo tuoque latere pronum ad honores iter et audita latius nomina et non subitas imagines relicturus. Nascantur modo et hunc nostrum dolorem gaudio mutant. Vale.

12.6 Plinius schrijft Calpurnia's tante (Epist. 8.11)

Plinius stelt Hispulla gerust

- 1 Plinius Hispullae suae s.
Cum adfectum tuum erga fratris filiam cogito etiam materna indulgentia molliorem, intellego prius tibi, quod est posterius, nuntiandum, ut praesumpta laetitia sollicitudini locum non relinquat. Quamquam vereor, ne post gratulationem quoque
- 5 in metum redeas, atque ita gaudeas periculo liberatam, ut simul, quod periclitata sit, perhorrescas.

Uitstel, geen afstel

- Iam hilaris, iam sibi, iam mihi reddita incipit refici, transmissumque discrimen convalescendo metiri. Fuit alioqui in summo discrimine, (impune dixisse liceat) fuit nulla sua culpa, aetatis aliqua. Inde abortus et ignorati uteri triste experimentum.
- 10 Proinde etsi non contigit tibi desiderium fratris amissi aut nepote eius aut nepte solari, memento tamen dilatatum magis istud quam negatum, cum salva sit, ex qua sperari potest. Simul excusa patri tuo casum, cui paratior apud feminas venia. Vale.

13.1 Plinius' optreden tegenover zijn slaven (Epist. 8.16)

- 1 C. Plinius Paterno suo s.
Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum. Solacia duo nequaquam paria tanto dolori, solacia tamen: unum facilis manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdidit), alterum,
- 5 quod permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque ut legitima custodio. Mandant rogantque quod visum; pareo, ut iussus. Dividunt, donant, relinquunt, dumtaxat intra domum; nam servis res publica quaedam et quasi civitas domus est. Sed quamquam his solaciis adquiescam, debilitor et frangor eadem illa humanitate, quae me, ut hoc ipsum permitterem, induxit. Non ideo tamen velim durior fieri.

Anderen denken daar anders over

- 10 Nec ignoro alios eius modi casus nihil amplius vocare quam damnum, eoque sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint, nescio; homines non sunt. Hominis est enim adfieri dolore, sentire, resistere tamen et solacia admittere, non solaciis non egere. Verum de his plura fortasse quam debui; sed pauciora quam volui. Est enim quaedam etiam dolendi voluptas, praesertim si in
- 15 amici sinu defleas, apud quem lacrimis tuis vel laus sit parata vel venia. Vale.

14.1 Plinius, bijna net zo beroemd als Tacitus? (Epist. 7.20)

Wat een heerlijke samenwerking

- 1 C. Plinius Tacito suo s.
Librum tuum legi et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere adsuevi, et tu libenter audire. Neque enim ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te

5 librum meum cum adnotationibus tuis exspecto.

Twee schrijvers van vrijwel gelijk niveau

O iucundas, o pulchras vices! Quam me delectat, quod, si qua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, simplicitate, fide vixerimus! Erit rarum et insigne, duos homines aetate, dignitate propemodum aequales, non nullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico), alterum
10 alterius studia fovisse.

Jij was altijd al mijn voorbeeld

Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreris, te sequi, tibi 'longo sed proximus intervallo' et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi (ita similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod, si quis de studiis sermo, una
15 nominamur, quod de te loquentibus statim occurro. Nec desunt, qui utriusque nostrum praeferantur.

Wij zijn verbonden met elkaar

Sed nos, nihil interest mea quo loco, iungimur; nam mihi primus, qui a te proximus. Quin etiam in testamentis debes adnotasse: nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata et quidem pariter accipimus. Quae omnia huc spectant,
20 ut invicem ardentius diligamus, cum tot vinculis nos studia, mores, fama, suprema denique hominum iudicia constringant. Vale.

15.1 Raad aan een collega (Epist. 8.24)

Een goede raad

1 C. Plinius Maximo suo s.
Amor in te meus cogit, non ut praecipiam (neque enim praeceptore eges), admoneam tamen, ut, quae scis, teneas et observes, aut nescire melius.
Griekenland, bakermat van de beschaving
5 Cogita te missum in provinciam Achaïam, illam veram et meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae, etiam fruges inventae esse creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius a natura datum virtute, meritis, amicitia, foedere denique et religione, tenuerunt.

Toon je respectvol

10 Reverere conditores deos et nomina deorum, reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra. Sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque. Nihil ex cuiusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione decerpseris. Habe ante oculos hanc esse terram, quae nobis miserit iura, quae leges non victis sed petentibus dederit, Athenas esse, quas adeas, Lacedaemonem esse, quam regas; quibus reliquam umbram et
15 residuum libertatis nomen eripere durum, ferum, barbarum est.
Vides a medicis, quamquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Recordare, quid quaeque civitas fuerit, non, ut despicias, quod esse desierit; absit superbia, asperitas. Nec timueris contemptum. An contemnitur qui imperium, qui fasces habet, nisi humilis et sordidus, et qui se primus ipse
20 contemnit?

Liefde is belangrijker dan macht

Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio acquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor. Nam

timor abit, si recedas, manet amor, ac, sicut ille in odium, hic in reverentiam vertitur.

Jouw taak is eervol

25 Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officii tui titulum ac tibi ipsum interpretari, quale quantumque sit ordinare statum liberarum civitatum. Nam quid ordinatione civilius, quid libertate pretiosius? Porro quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur!

Doe je reputatie eer aan

Accedit, quod tibi certamen est tecum: onerat te quaesturae tuae fama, quam ex Bithynia optimam revexisti; onerat testimonium principis; onerat tribunatus,
30 praetura atque haec ipsa legatio quasi praemium data. Quo magis nitendum est, ne in longinqua provincia quam suburbana, ne inter servientes quam liberos, ne sorte quam iudicio missus, ne rudis et incognitus quam exploratus probatusque humanior, melior, peritior fuisse videaris, cum sit alioqui, ut saepe audisti, saepe legisti, multo deformius amittere quam non adsequi laudem.

Een laatste raad

35 Haec velim credas, quod initio dixi, scripsisse me admonentem, non praecipientem; quamquam praecipientem quoque. Quippe non vereor, in amore ne modum excesserim. Neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Vale.

17.1 Plinius over de spelen (Epist. 9.6)

Ik heb lekker zitten werken

1 C. Plinius Calvisio suo s.
Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. 'Quemadmodum' inquis 'in urbe potuisti?' Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil, quod non semel spectasse
5 sufficiat.

Hoe kunnen de paardenraces zo populair zijn?

10 Quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla; nunc favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitadores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquunt. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod vilis tunica, sed apud quosdam graves homines; quos ego cum recordor, in re inani, frigida, adsidua, tam insatiabiliter desiderare, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capior.

Ik studeer liever

15 Ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.

17.2 Cicero over de spelen (ad Fam. 7.1)

Waarom was je niet bij de spelen?

1 M. Cicero s. d. M. Mario
Si te dolor aliqui corporis aut infirmitas valetudinis tuae tenuit, quo minus ad ludos venires, fortunae magis tribuo quam sapientiae tuae; sin haec, quae ceteri mirantur, contemnenda duxisti et, cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti,
5 utrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse, cum ea, quae sine

causa mirantur alii, neglexeris, modo ut tibi constiterit fructus oti tui; quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, cum esses in ista amoenitate paene solus relictus.

Heb je van je vrije tijd genoten?

10 Neque tamen dubito, quin tu in illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforando patefecisti sinum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris, cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos semisomni. Reliquas vero partes diei tu consumebas iis delectationibus, quas tibi ipse ad arbitrium tuum compararas; nobis autem erant ea perpetiunda, quae Sp. Maecius probavisset.

Je hebt niets gemist

15 Omnino, si quaeris, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi; coniecturam enim facio de meo. Nam primum honoris causa in scaenam redierant ii, quos ego honoris causa de scaena decessisse arbitrabar. Deliciae vero tuae, noster Aesopus, eius modi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare cum coepisset, vox eum defecit in illo loco, 'si sciens fallo.'

De toneelstukken hadden geen niveau

20 Quid tibi ego alia narrem? Nosti enim reliquos ludos; qui ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi. Apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem; quo quidem apparatu non dubito quin animo aequissimo carueris. Quid enim delectationis habent sescenti muli in 'Clytaemnestra' aut in 'Equo Troiano' cretarrarum tria milia aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? Quae popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent.

Je kunt ze net zo goed bij jou bekijken

25 Quod si tu per eos dies operam dedisti Protogeni tuo, dum modo is tibi quidvis potius quam orationes meas legerit, ne tu haud paulo plus quam quisquam nostrum delectationis habuisti. Non enim te puto Graecos aut Oscos ludos desiderasse, praesertim cum Oscos vel in senatu vestro spectare possis, Graecos ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam via Graeca ire soleas. Nam quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? In quibus ipse Pompeius confitetur se et operam et oleum perdidisse.

De jachtpartijen bevielen ook niet

35 Reliquae sunt venationes binae per dies quinque, magnificae, nemo negat; sed quae potest homini esse polito delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur aut praeclara bestia venabulo transverberatur? Quae tamen, si videnda sunt, saepe vidisti, neque nos, qui haec specta(vi)mus, quicquam novi vidimus. Extremus elephantorum dies fuit. In quo admiratio magna vulgi atque turbae, delectatio nulla exstitit; quin etiam misericordia quaedam consecuta est atque opinio eius modi, esse quandam illi beluae cum genere humano societatem.

18.1 Plinius wil graag door Tacitus worden vermeld (Epist. 7.33)

Neem mijn optreden toch op in jouw werk

1 C. Plinius Tacito suo s.
Auguror nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras; quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio. Nam si esse nobis curae solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare, ut operibus nostris similis
5 tui scriptor praedicatorque contingat? Demonstratio ergo, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in publicis actis, demonstratio tamen, quo magis credas, iucundum mihi futurum, si factum meum, cuius gratia periculo crevit, tuo ingenio, tuo testimonio ornaveris.

Een verzoek aan Plinius

Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciae Baeticae contra
10 Baebium Massam, damnatoque Massa censuerat, ut bona eius publice custodirentur. Senecio, cum explorasset consules postulationibus vacaturos, convenit me et 'Qua concordia' inquit 'iniunctam nobis accusationem exsecuti sumus, hac adaequamus consules petamusque, ne bona dissipari sinant, quorum esse in custodia debent.'

Plinius' antwoord

15 Respondi: 'Cum simus advocati a senatu dati, dispice num peractas putes partes nostras senatus cognitione finita.' Et ille: 'Tu, quem voles tibi terminum statues, cui nulla cum provincia necessitudo nisi ex beneficio tuo et hoc recenti; ipse et natus ibi et quaestor in ea fui.' Tum ego: 'Si fixum tibi istud ac deliberatum, sequar te ut, si qua ex hoc invidia, non tantum tua.'

Bezoek aan de consuls

20 Venimus ad consules; dicit Senecio, quae res ferebat, aliqua subiungo. Vixdum conticueramus, et Massa questus Senecionem non advocati fidem sed inimici amaritudinem implese, impietatis reum postulat.

Plinius redt de situatie

Horror omnium; ego autem 'Vereor' inquam, 'clarissimi consules, ne mihi Massa silentio suo praevaricationem obiecerit, quod non et me reum postulavit.'
Quae vox et statim excepta, et postea multo sermone celebrata est.
25 Divus quidem Nerva (nam privatus quoque attendebat his, quae recte in publico fierent) missis ad me gravissimis litteris non mihi solum, verum etiam saeculo est gratulatus, cui exemplum (sic enim scripsit) simile antiquis contigisset.

Afsluiting

30 Haec, utcumque se habent, notiora, clariora, maiora tu facies; quamquam non exigo, ut excedas actae rei modum. Nam nec historia debet egredi veritatem, et honeste factis veritas sufficit. Vale.